



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

2. Casta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

eff, & paucis obtingit. Mulier enim naturâ fragilis, est cupida, pigra, dicax, proca, fallax, maligna: adeo ut Ecclesiasticus c. 25. dicat: *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris.* Celebre est illud Socratis dicentis, tria se mala affecutum, Grammaticam, Paupertatem, & perniciosam uxorem: duo priora se jam effugisse, tertium effugere non posse. Et illud Menandri: *Vxor est malum necessarium.* Et notanter dixit Salomon, qui *invenit*, ut indicet fortuitum quid esse uxorem bonam. Quæ certò consiliò nanciscimur, dicimur sumere, & accipere; quæ verò fortuitò obveniunt, *invenire*: præsertim quia mulieres omnes, antequam in uxores ducantur, ostendunt se bonas, generosas, & amabiles, teguntque suas iras, cupiditates, otia, & vitia, quæ tum primùm exerunt, postquam ductæ sunt. Hæc Cornelius à Lapide in memoratum Salomonis locum.

II. (b) Ulysses cum Penelope tres Charites domum duxit, dum uxorem probam, pudicam, industriam sibi copulavit. De huiusmodi conjugè prædictus Salomon Proverb. 5. *Cerva charissima, & gratissimus hinnulus*: id est, filius, ex matrona casta susceptus. Est enim amor cervi & cervæ singularis. 1. Velocitas in iis mira ad invicem opitulandum. 2. Carent illi felle, ut mutuam charitatem intelligas. 3. Cervæ sunt acri auditu, timidæ, & adversus hominum insidias circumspiciendissimæ; quod maritatis notandum, ne plus æquò virtuti suæ fidant. Procos habuit Penelope, habent & ipsæ. Caveant suspectum consortium, ne contingat illis; quod Martialis de Lavina canit, lib. 1. Epigram.

Casta, nec antiquis cedens Lavina Sabinis,  
Et quamvis tetrico tetricior ipsa viro;  
Dum modò Lucrino, modò se permittit Averno;  
Et dum Bajanis, sæpe fovetur aquis.  
Incidit in flammam, juvenemque secuta, relicto  
Conjuge, Penelope venit; abît Helene.

III. (c) Conservationem pudicitie suæ debuit Penelope manuum labori, nendique ac texendi exercitio; neque enim Ægisthi solùm, sed etiam Clytemnestræ desidiâ fiunt adulteræ. De hoc argumento alibi. Hic sufficiat monere, colum & fuscum, acum & filum esse feminarum ornamenta, instrumenta, munimenta; unde laudem sexui, virtutem animo, præsidium comparent castitati. Otium, si mortalium ulli conditioni perniciem adfert, tum imprimis fugiendum est feminis, quas cum natura molliores effecerit, ignavia facile dissolvit, ac corrumpit. Non incongruè huc applices id, quod de S. Antonino Florentinorum præfule refer-

Ggg 2

tur,

(b) Vxor casta, (c) Otium vitandum feminis,